

VARGVLA  
LOCO CONSEPTIONIS SEV CON-  
CEPTIONIS CAROLI MAGNI

II n  
652

QVAEDAM

PROPONIT

ATQVE

AD VERNAL SOLLEMNIA

GYMNASII SENATORII

D. IX. MAIL clb 15 CC LXIV

CELEBRANDA

AD

BENEVOLE AVDIENDAS

ALVMNORVM BONAE FRVGIS DECLAMATIONES

AC EORVM

E GYMNASIO AD ALTIORA PROMOTIONEM

MAXIMO CULTV

PROSEQVENDOS

DOMINOS EPHOROS, ET PATRONOS

DOMINOS PROFESSORES

ALIOSQUE MVSARVM FAVTORES

OFFICIOSE ET PERHUMANITER

INVITAT

HERMANN. ERN. RVMPPEL

PHIL. ET I. V. D. GYMN. DIRECT. ATQVE ACAD. IMP. NATVR. CVRIOS. BIBLIOTHECAS.

ET ELECT. MOGVNTINAE SCIENT. SODALIS ORDINARIUS.

ERFORDIAE, LITERIS IVNGNICOLIANIS.





MAGNI illius CAROLI, qui Francorum regnum ad summum magnitudinis, potentiae ac fortunae culmen evexit, solum natale adeo in obscuro latet, ut de eo multos inter eruditos, acque fere ac olim de Homeri patria inter complures Graeciae et Asiae ciuitates, nequidquam disceptatum fuerit. Quamuis enim CAROLI aetas non in illitterata illa inciderit tempora, in quibus Germani magis de edendis fortitudinis speciminibus, quam de scripta sui memoria posteritati relinquenda erant solliciti; et quamuis ad magnorum hominum viram pertinentes vel vivissimae res a scriptoribus religiose annotari soleant: EGINHARDVS tam en in describenda CAROLI vita 1) fateri cogitur: *De cuius nativitate atque infantia, vel etiam pueritia, quia neque scriptis usquam aliquando declaratum est, nec quisquam modo superesse inuenitur, qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum iudicans ad aetus et mores, caeterasque vitae illius partes explicandas ac demonstrandas omissis incognitis transire disposui.*

Sed

1) Cap. 4 et apud HAHNIVM in der vollständigen Einleitung zu der teutschen Reichs-Historie. Cap. I. §. 5.

Sed postea non desuerunt, qui locum, vbi CAROLVS lucem primum adspexit definire auderent, quorum vero opinionibus quantum fidei post EGIN-HARDVM testem coaeuum sit tribuendum, vel ipsa res loquitur. Sunt, qui eum Francia occidentali ortum existiment, maxime Galli scriptores, qui nimio suae nationis amore decepti omnia Germanis negare, sibique omnia vindicare solent. ANTONIUS PAGI 2) Carolum M. in lucem prodiisse, ait, in aliqua urbe Franciae seu Galliae et maioratus Pipini, deceptosque scriptores Germanos esse, qui superiori saeculo et praesenti tradiderint, Carolum natum esse in Germania et in Maioratu Carolomanni. In eodem haerent errore MICHAEL GERMANVS 3) ac BODINVS, qui 4): illud vero ineptius visum est, inquit, quod Carolum Magnum, (qui quam monarchiam vocant, primus occupauit,) natione Gallum, in Gallia natum, lingua quoque moribus et institutis Gallorum una cum suis maioribus educatum, modo Germanum, modo Alemannum vocant. Tametsi enim a Francis veterum Gallorum colonis originem plerique traxisse putent, non tamen negant, quin Gallorum armis ac legionibus Germaniam Italianam et magnam Hispaniae partem cum imperio Gallorum coniunxerit. Existimat nimirum BODINVS Francos Gallorum veterum colonizationem fuisse; quae vero opinio iam pridem explosa fuit, et a recentioribus Gallis ipsis reiicitur 5). Idem scriptor cum Roberto Coenali adserit, Carolum Ingelhemii natum fuisse, idque fuisse Galliae Belgicae, testantibus omnibus tabulis cosmographicis, oppidum. MONZAMBANO quoque s. PV-PENDOREIVS Carolum Gallis addicere studet 6) existimans haud respici debere ad locum nativitatis, sed illius nationis aliquem censeri, cuius pater ipsius sit, et vbi sedem fortunarum a maioribus traditam obtineat. Haec si vera sunt, CAROLVS potius Germanus quam Gallus dicendus est; Franci enim occidentales et orientales unus plane erant populus, vna origine vnoque foedere colligatus; Galli vero nihil erant, quam Francici Regni subiecti, postquam Franci illas terras Galliae, quibus Wisigothi et Burgundiones non erant potiti, occupauerant 7). Hinc sine CAROLVM in Neustria sive in Austrasia natum sumamus, in vitroque casu Germanus habendus est, quum nationes veteres non a loco quem occupabant, sed portius a communi origine communique foedere, lingua moribusque nomen fortarentur. Ingelhemium oppidum prope Rhenum haud procul a Moguntia situm CAROLI M. patriam fuisse

2) in Critica annal. Baronii Tom. III. 302. 5) Montesqu. Espr. des Loix liv. ad a. 742. n. XXIV. et a. 814. n. XLIV. XVIII. chap. 22. tom. 2. pag. 170. edit.  
3) in Mabillon. de re diplomat. n. LXVIII. Amst. 1759. 6) cap. I. §. 6. 7) Mon-  
p. 287. 4) meth. histor. c. 7. p. m. tesqu. l. c. liv. XXX. ch. 6. tom. 3. p. 297.

iam tradidit GODEFRIDVS VITERBIENSIS 8), quem complures alii sequuntur, qui vero illum locum non ad Neustriam sed potius ad Austrasiam referunt 9), et MARQV. FREHERVS 10): *Incolis loci hodiernis id adeo persuasissimum habetur*, inquit, *mala ut etiam apud eos gratiam initurus sit*, qui vel leuiter in dubitationem id vocare conetur. Sed illud Ingelhemense palatum, quod CAROLO ortum dedisse fertur, potius suum ortum CAROLO debet, testantibus EGINHARDO 11) et WANDELBERTO 12). IO. AVENTINVS 13) Carloburgum in Bauaria, haud procul a Monachio situm, verum CAROLI locum natalem fuisse contendit; MONACHVS S. GALLI 14) Aquisgranum CAROLI genitale solum adpellat, ob quam causam CAROLVS hunc locum in deliciis habuit, ibique exstruxit cum palatio et thermis basilicam, in qua sepeliri voluit, vt idem sepulturae ac nativitatis locus esset 15). Nonnulli eundem Lupillae prope Leodium natum fuisse contendunt 16). Alii denique cum BROWERO 17) auctoritate diplomatis cuiusdam nixi, in quo Thuringiam et curtem in Vargula terram conceptionis suae vocat CAROLVS, eum in Thuringia ad Vnstrutum ad vicum *Vargulam*, ditionis Erfurtensis, tria millaria ab Erfordia distantem, in lucem editum fuisse conciunt 18), et TENTZELIVS 19) hoc forsitan factum fuisse, autumat, quum *Pipinus A. R. S. DCCXL* in Thuringiam et Franconiam fuerit missus, vt *Burcardi Episcopi Heribopolitanus* iesuiturae adesset. Sed, vt omittamus, quae STRVVIVS 20) contra haec monet, quod ea terra saltim conceptionis dicatur, atque exinde ad nativitatem argumentari nobis vix liceat, longe alia de re illa charta, quam de conceptione humana, loquitur. Quod vt reddatur euidentius ipsam CAROLI regis donationem villae *Vargalah*, quam ex apographo veteri SCHANNATVS 21) descripsit, exhibemus: *Carolus Dei gratia Francorum et Longobardorum Rex et Patricius Romanorum. Nouerint omnes nostri Christique fideles, qualiter ob aeternam nostri memoriam*

8) part. XVII. Chron. p. 443. 9) Ios. Barre allgemeine Geschichte von Deutschland, aus dem Franz. überf. 1. Band. Seite 736 und 779. 10) Orig. Palat. cap. XI. p. 46. 11) I. c. cap. XVII. 12) Diaconi Prumiensis de miraculis S. Goaris confessoris et Eremitae cap. XI. 13) Ann. Boi. lib. III. cap. 9. n. 13. 14) In vita Caroli M. lib. I. c. 30. huic, cui *Noekero Balbulo* nomen fuisse dicit, maximam fidem tribuit Jo. Georg. ab Eckhart, in Commentariis de rebus Franciae orientalis et episcopatus Wirceburgensis; tom. I. lib. 23. §. 60. p.

444. quod is hoc rescrire potuit ab Adalberto milite et eius Filio Werinberto sacerdote, quos sibi omnia, quae in litteras rediget, retulisse fatetur. 15) *Mabillon* in supplem. ad opus de re diplom. lib. IX. §. 1, p. 39. 16) Petrus a Beeck Chron. Aquisgran. c. III. 17) Antiquit. Fuldenf. I. III. cap. XII. 18) *Sagittarius* in Antiquit. Ducatus Thuring. lib. I. cap. XLIX. p. 78. 19) in curieuen Bibliothe- Repositorio II. pag. 487. 20) Corp. hist. germ. tom. I. period. IV. sect. I. §. 4. 21) in corp. tradit. Fuldenf. n. 69. pag. 36.

riam et parentum nostrorum piam recordationem donamus et contradicimus domino nostro salvatori Iesu Christo sanctoque Bonifacio martiri, qui in Fuldensi requiescit monasterio, terram conceptionis nostrae, hoc est, totam comprouinciam circa flumen Vnstrut, ipsamque Curtem nostram in Vargalaha cum omnibus competentiis suis et cum omnibus villis, longe vel prope positis, quae ad eam respiciunt, cum omni proprietate, sicut nos eam a parentibus nostris in proprietatem accepimus. Praecipimus etiam super hoc, ne aliquis hominum eadem bona a Fuldensi monasterio auferat, sed sint in aeterna subsidia fratribus ibi Deo militantibus ad memoriam nostrae recordationis. Conceptionis terra, quod ex illius descriptione adparet, neque natuitatem neque conceptionem in utero matris denotat, sed spatium terrae, eritis filuis in agrum arabilem conuersum et sepe vel fossa aut certis signis inclusum, aut iudicialiter circumductum et sic ab aliorum possessionibus separatum. Qui spatium eiusmodi primi occuparent et excolerent, quod olim non raro siebat, quum Germania adhuc esset filius palubibusque horrida, illud comprehendere, nec non proprendere dicebantur, unde ipsum illud spatium comprehensio, proprium, captura, concepicio, seu conceptio, septum et ambitus, germanice bifang et biuanc adpellatum fuit, vti IO. GEORG. ECKHARTVS 22) et IO. FRID. SCHANNAT 23) exemplis demonstrant, quorum innumera nobis chartae donationum suppeditant. Sic tradita fuit captura A. R. S. DCCCXXVI a Poppone comite sequenti formula 24): Si aliquid de terreno, beneuela deliberatione, ad loca sanctorum conferimus, elaboratu, pro hac iterum remuneratione aliquam aeternae haereditatis partem nobis donari non diffidimus, qua spe exhortatus Ego Poppo Comes trado ad sanctum Bonifacium martyrem Christi, qui in Coenobio Fulda, ubi vir venerabilis Hrabanus Abbas esse dignoscitur, sacro pausat in corpore, atque in eleemosynam meam dono capturam unam in silua Bochonia comprehensam, iuxta fluuum, qui dicitur Lutraha, quod est in pago Grapfeld, totum et integrum, quidquid in ambitu illius capturae proprietatis visus sum habere in campis et filuis, ariolis, aedificiis, pratibus, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, pecoribus ac mancipliis, quorum haec sunt nomina. Citger. Berolf. Ruadmund. Bernger. Musgo. Sito. Thragobold. Vuottizo. Lantburg. Thiurhild. Sconeia. Vualdger. cum omni suppelletili eorum, ea scilicet ratione, ut ex hac die praefente in potestatem redeat sancti Bonifacii et supradieti Abbatis, successorumque eius, ac perpetualiter in illo permaneat Dominio, nemine contradic-

22) l. c. 23) Corp. tradit. Fuldens. in Buchonia veteri p. 321. 24)  
trad. Fuld. n. 386. pag. 155.

cente. Facta est haec traditio etc. Interdum *captura* etiam denotat locum  
piscorum vulgo *Fischweyde*, quam significationem illi tribuit DV CANGE  
in glossario, hac voce; eaque occurrit apud SCHANNATVM 25), vbi *Bur-  
geo* donat a. DCCXCVI illam *Capturam*, quae super fluuium Elmaha iacet.  
*Capturae* saepe ab eo, qui primus illas occupauerat, nomen trahebant, quem-  
admodum memoratur *captura Itani*, *captura Madabrathes*, *captura Waten*,  
et 26). Comprehensio quidem omnem occupationem et possessionem re-  
rum medio aeuo denotabat: Sie *Hildirardus* tradit, quidquid pro haeredi-  
tate comprehendit a riuulo, qui dicitur Burgbeki 27); speciatim autem idem,  
quod *captura*, significat; sic *Altfrido* episcopo *Gunthard* et *Athilwin* ven-  
dunt comprehensionem in *silua*, quae vocatur *Witerowald*, quam, in-  
quiunt, homines tui una nobiscum circuerunt et nouis signis obfirmau-  
runt 28). *Proprindere* in LLbus veterum Germanorum idem est, ac res  
alienas inuadere; ita enim in *Capitularibus regum Francorum* 29): *De  
rebus propriis ut ante missos et comites et iudices nostros veniant, et ibi  
accipient finituam sententiam; et antea nullus praesumat alterius res  
proprindere.* Et alio loco 30): *De rebus propriis, ut ante Missos et  
Comites et iudices nostros veniant ii, qui hoc egerunt et ibi accipient fi-  
nituam sententiam, ita ut inantea nullus praesumat alterius res pro-  
prindere.* At occurrit etiam hoc vocabulum in eo sensu, ut idem sit, quod  
*captura*: Sic in CAROLI M. praecepto pro Adalrico Saxone a. DCCCXIII  
dato 31) ita statuitur: *Iubemus, ut nullus -- praefatum Afig, qui et  
Adalricus, vel haeredes illius de hoc proprio superius, quod in lingua  
eorum Biuang dicitur, exsoliare -- praesumat. Septum quoque ac  
ambitus idem quod Bifang denotant. Sic Meginbraht a. DCCCXIV donat  
in pago Salagewe in loco, qui dicitur Scuntra in illo septo II hexas, vnam  
in silua, alteram in terra et vnam arialem; alibi Altfrid et Folrat coniuges  
excipiunt illum septum id est Biuang, qui est in Giusungen (forte Wasun-  
gen) 32).* Bunzo donans a. DCCCCIV. in villa Kinzichi quidquid proprieta-  
tis habuit, excipit vnum *ambitum*, quem, inquit, nos *Bifang* appellamus 33).  
Ipse quoque *Captura* per vocem *Biuang* exprimitur: Sic Albuuin Comes de  
Ahegewe tradidit Sancto Bonifacio vnam *Capturam id est Biuang*, quae  
iuxta flumen Wisaram est comprehensa 34). Quaenam autem eiusmodi  
captu-

25) n. 117. pag. 57. 26) ibid. qui. 30) lib. VI. Capit. 251. Geor-  
pag. 321. 27) tradit. Werthin. XXIII. gisch l. c. pag. 1561. 31) Mabillon  
vid. Eckhart l. c. 28) tradit. Werthin. de re diplom. lib. VI. pag. 512. 32)  
XLI. 29) lib. V. cap. 242 de inua- Schannat. l. c. n. 266. 33) ibid. num.  
sione aliorum rerum pag. 1465. in Petri 187. pag. 89. 34) ibid. num. 62. p.  
Georgisch Corpore Iuris Germanici anti- 290.

capturae proprie fuerit mensura, definiri adcurate non potest, sed ea a natura soli, aque occupantium arbitrio pependisse videtur; memoratur saltim in chartis *capturae dimidium* 35) *captura una* 36), *capturae tres* 37); *Folcmar tradidit ad S. Bonifacium quidquid Willikuno in Hettenhuso-nomarku et in eadem Captura proprietatis visus est habere, id sunt Iu-gera XXXIII, aream I, molendinum et cum loco molas* 38). Caeterum potuit quis tam rem propriam, quam, consensu alterius accidente, communem stirpare, hoc est antea incultam ad culturam redigere 39). Caeterum cum voce *bifang* etiam conuenit vox *beunt*, *peunt*, *baynt*, *bend*, *beenth*, latin. barb. *biunda*, quasi *beeint* i. e. septo comprehensus et adunatus. Idem denotat germ. vox *Garten*, inde *Gartenrecht* i. e. ius fundi seu agri claudendi, ut docet HALTAVS in glossar. voce *beunt* et *Gartenrecht*. Quum itaque voci *bifang* cum omnibus modo allegatis vocabulis communis intercedat notio, et vox *bifang*, quod ex illius compositione patet, plane eandem enunciet ideam, ac conceptio; hinc cel. ECKHARTVS non sine similitudine veri colligit, illam conceptionem, cuius in charta CAROLI M. supra exhibita fit mentio, nihil aliud quam capturam esse, atque terras circa *Vargulam*, seu *Fargalaham*, quae prius *Hochein* vocabatur 40) a CAROLI M. maioribus primum occupatas excutasque fuisse. Reges enim Francorum multas habebant terras, villas, possessionesque proprias, quae *allode* dicebantur 41), imo MONTESQUIEU in hisce domaniis omnes Francorum regum redditus constituisse ex antiquis litterarum monumentis demonstrat 42); de iis itaque, ut alii priuati libere statueri, ea donare, alienare, testamentoque relinquare poterant 43). Mentio fit ciusmodi proprii dominici in *Capitulariis regum Francorum* 44): *Si quis proprium nostrum, quod in uestitura genitoris nostri fuit, alicui quaerenti sine nostra iussione reddiderit, aliud tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat.* Ultimis autem regibus stirpis Merouingicae a suis Maioribus domus vires et patrimonium maxime accisa fuerunt, hinc de *Childericus Eginhardus* 45) memoriae prodidit: *Quum praeter inutile regis nomen et precarium vitae stipendum, quod ei praefectus aulae, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret, quam unam et eam perparui reditus villam, - in qua do-*

mum

35) ibid. pag. 281. 36) ibid. Gotth. Struv de allodiis imperii cap. I. §.  
n. 35. pag. 282. et n. 52. p. 283. 37) XI. 42) de l'Esprit des Loix liv. XXX.  
ibid. n. 54. pag. 283. 38) ibid. n. 57. chap. XIII. tom. 3. pag. 315. 316. 43)  
pag. 285. 39) tradit. Werthin, Llll. Lehmann. chronic. Spirens. lib. II. c. 44.  
40) Schannat I. c. n. 7 et 8. pag. 289. de 44) lib. IV. cap. 34. Georgisch p. 1379.  
reliquis Vargulac fatis vid. Falkenstein 45) vita Caroli M. cap. I.  
thuring. Chron. pag. 970. 41) Bure.

QK  
Thn  
652

rum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes atque obsequium exhibentes paucae numerositatis habebat. At contra PIPINVS et CAROLVS M. amplissimis fuerunt instructi facultatibus propriis, ex quibus quidem quasdam vībus piis impenderunt, reliquas vero ita administrarunt, ut postoris, eti forsan dignitate regia exciderent, supereriset, ex quo fortunas suas conditionemque splendide sustentare possent 46).

Sed CAROLIM rebus vterius immorari, supersedeo, quum in ornatissimum quorundam alumnorum Gymnasi declamationibus renouandae tanti huius Principis memoriae locus dabitur. Quum nimur primo examinis die adolescens, cuius diligentia quavis est laude digna, *August. Zuchar. Christoph. Berns*, Erfurtensis, vernaculo sermone concelebravit die höchsten Vorzüge Ihro Churfürstlichen Gnaden zu Maynz bey Ermählung und Crönung eines Römischen Königs. Die tertio examinis publici duo iuuenes, qui diligentia sua, editisque profectuum multis documentis, morumque integritate ac elegantia optimam nobis de se spem confirmant,

IO. DAN. FRIDER. CHRISTIAN. REINHARD, Erfurtensis.

IO. CHRISTOPHORVS APEL, Walschlebio-Erfurtensis.

auctoritate publica ad altiorem litterarum gradum, adque academica studia sollemniter dimittentur; quorum posterior de electionis ac inaugurationis Regis Romanorum ritibus tersam orationem recitatib; alter vero, cuius insuper studium in addiscenda lingua gallica collocatum laudari meretur, antiquitates atque historiam insignium, quae in coronando Rege Romanorum adhiberi solent, stilo nitido persequetur, et simul suo commilitonisque nomine, iis quibus debentur, gratias valedicens persoluet. Quos iuueniles conatus ut beneuolis auribus excipere, atque valedicentes faustis prolequi votis dignentur maxime colendi Domini Ephori, Domini Professores aliique Musarum fautores, ea, qua par est obseruantia, rogo atque contendeo. Dabam e cœnobio Augustiniano d. VIII. Maii A. O. R. CICICCLXIV.

46) id quod adparet ex Capitulari de villis et curtis Caroli Magni apud Georgisch pag. 607. seqq.



B.I.G.

Black



386,6.

DE

VARGVLA  
LOCO CONCEPTIONIS SEV CO-  
CEPTIONIS CAROLI MAGNI

QVAEADAM

PROPONIT

ATQVE

AD VERNA SOLLEMNIA

GYMNASII SENATORII

D. IX. MAIL. cl. 10 CC LXIV

CELEBRANDA

AD

BENEVOLE AVDIENDAS

ALVMNORVM BONAE FRVGIS DECLAMATIONES

AC EORVM

E GYMNASIO AD ALTIORA PROMOTIONEM

MAXIMO CVLTV

PROSEQVENDOS

DOMINOS EPHOROS, ET PATRONOS

DOMINOS PROFESSORES

ALIOSQUE MVSARVM FAVTORES

OFFICIOSE ET PERHUMANITER

INVITAT

HERMANN. ERN. RVMPPEL

PHIL. ET I. V. D. GYMN. DIRECT. ATQVE ACAD. IMP. NATVR. CVRIOS. BIBLIOTHECARI.

ET ELECT. MOGVNTINAR SCIENT. SODALIS ORDINARIVS.

ERFORDIAE, LITERIS IVNGNICOLIANIS.

II n  
651

